



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum Principis, Eivsqve Svccessorum
Vitae, Ac Doctrina, Ipséque Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basel], [1543]

VD16 VD16 K 2583

De Mahometo, eiusq[ue] legibus, Sarracenorum rebus, ex Volaterrano.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98259)

DE MAHV METANAE SECTAE

dentia, quasi nihil mutasset, Si quid (inquit) dubitatis in his, quærite ab ijs qui librum legerunt ante nos, quærite ab ijs qui legem et euangelium legerunt: hoc est, a ludæis & Christianis. Hinc tu putes uel frontem habuisse, uel cor? Neceffe est uel illum nihil legisse, sed quæ accepisset ab alijs, habuisse pro indubitatis, in quo eius tarditas & socordia ostenditur: uel si quid legi et nouit, non proiectæ solum & profligatæ, sed dementissimæ est impudentiæ, eos pro se testes adducere, quorum testimonio sciat se condemnatum iri. Profecto alterum necesse est: uel ipsam beluam fuisse, uel eos quibus loquebatur habuisse pro beluis. Plura de Alcorani & Mahumetis erroribus, nempe quàm absurda de Deo, de Christo, de rerum natura, de die extremi iudicii, de beatitudine statuatur, itemq; de legibus & uita Saracenorum plenissimam tractationem reperies in Lodouici Viuis de Veritate fidei Christianæ libro 4. qui in hoc ipso cōfutando totus uersatur. Nos ista dūtaxat hoc loco adieciisse, ut disputationis huius saltem admoneremus lectorem, operæ precium duximus.

DE MAHOMETO, EIVSQUE LEGIBVS,
& Saracenorum rebus, ex Volaterrano.

*Sergius monachus
hinc, apostata.*

Saracenorum gente Arabiæ felicis numerosa, ac bello potētissima, nulla magis Christianos exsercuit: eius Ptolemaeus & Marcellinus in primis meminere, si diu regibus Persarum una cū reliqua Arabia seruiuerunt, usq; ad Heraclij principis tēpora, annū uidelicet salutis DCXXX. Tūc primum Mahumetes ex eis caput extulit, quem (ut refert Bibliothecarius) humili genere natū, de functis parentibus captiuum, Abdemonaples Ismaelitici uir generis emit, sibi gratum ob formam & ingenium. Quapropter mercimonijs ac negocijs ab eo præficitur. Frequentabat ea tempestate domum Abdemonaples Sergius monachus, qui ob sectam hæreseos ē Constantinopoli in Arabiā fugerat, Mahumetemq; ob ingenium ualde diligebat. Interim herus sine liberis moritur, uxor uiridua & quinquagenaria hunc sibi in uirum capit. Is igitur cum sæpe in alienationem mentis se uenire ostentaret, & tanquam qui morbum patiatur comitalē, corpore prosterneretur, admirante uxore: Desine, inquit, mirari, hoc mihi ex ipsius Dei spiritu me corripiente prouenit, qui mihi futura suggerit. Seq; planē prophetam dictabat, atq; hæc omnia iuuatē & consulente Sergio agebat. Paulatimq; uulgata fama, nec multo post hæres ab uxore moriētē institutus, opibusq; adauctus, simulq; autoritate, inter suos legē condere ccepit: nouamq; propterea sectam edidit, ab Hebræis nonnulla mutuando, partim etiam a Christianis. Circumcisionem & abstinentiam porcina simul & uini præcepit: ieiunium mensē continuum seruare, tantumq; noctibus uesci, diurnam abstinentiā longa crapula compensando. Veneris diem colunt, quod in hac ille rex factus: uel (ut quidam aiunt) ut Hebræis Christianisq; dissentiunt: eadēq; de causa ad meridiē cōuersi Deo supplicant. Uxores, quot pro facultatibus licet, fas ducunt habere: quarū Zelotypi solent esse, adulteras capite plectendo, nullā fœminā nisi operta facie foras prodire, mancipijs pro libidine uti, uoluptates corporis futuræ felicitati minime officere. Tris tantū prophetas admittunt, quos Razes uocat, Mahumetem, Mosē, & Christum, quem minime deum alioquin esse putant: et angelos, ueterem etiam legem recipiunt. Hæc reliquaq; præcepta in uolumine cōscripsit, quod Alcoranū appellant, atq; in latinum sermonē conuertit Ioannes Hispanus in concilio Constantiensi, Martini uero tempore, idq; Christianis argumentationibus publice refellit. Contra hoc item Ricardus ordinis Prædicatorumq; Theologus librum condidit: quem Demetrius Cydonius in Græcū sermonē cōuertit. Hac igitur superstitione armatus Mahumetes, obtemperantes Saracenorum animos ad rebellandum cōtra Persas excitauit. Vixit annos XL. Moriens prædixit se iturū in cælū: quod diu expectantes, tandem tetro coacti odore, sepulchro mandarūt apud Mechā ciuitatē, quæ adiuu ab eis ut a nostris Hierosolyma. Post eius mortē plures ē successione principes eius gētis, partito inter se exercitu alibi alij regnauerēt, uarijs etiā nominibus appellati, Calyphæ, Amorraei, Admirati, Miramemlini, Sultani, quæ est apud eos summa potestas. Homar igitur a Mahumete tertius, post Persas subiugatos, Hierosolymā omnēq; Syriā cepit, anno circiter DCLXX sedente Agathone et Constantino III Imperatore. deinde Aegyptū inuasere, cōstituto apud eā Calypha. Res itaq; incolumis Saracenorum usq; ad Mauguet Persidis principē durauit. Hic cum Himbraelem Babyloniarū regē ex eadē secta